



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Gallvs Abb. 16. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

quarum quidem ingens argumentum fuere nunc prodigiosus in vultu splendor, nunc cum animo suo in aërem etiam corpus abreptum. Et fuit, cum sic precanti è cruce benè ultro Christus precaretur, & rata omnia vota ejus haberet. Hoc enim scilicet compendium cælum erat, quod ingressa est HEDWIGIS inter Theclæ & Catharinæ aliarumque Virginum comitatum, ut & tunc Principem crederes. *Ex Surio.*

*Qui ad caelestes nuptias firma spei gradibus festinat, non parvam partem substantia in tuto loco reponat: marsupium autem sinus est pauperum, sustinetur miserorum. Hoc est fidele depositarium sine ullo prorsus detrimento, quod susceperat redditurum.* 1. Pet. Dam. l. 8. epist. 14.

S. GALLVS ABB. 16. Octobris.

GALLVS ad Laci Brigantini incolas Columbanus duce venit, quem in literis & pietate natus habuit. Hic permultis auctor fuit, damnata superstitione, ad Christi partes transeun-  
 tis: ipse antra silvasque à colubris & lemuribus purgatas melior hospes coepit incolere, commea-  
 tum sepiùs cælo suppeditante. Et fortè preces Numini faciebat, cum ursus adfuit pauperis cœnæ  
 reliquias populatarus, Sed jubet GALLVS lignum  
 cœnis fur comportet, coque focum foveat. Facit  
 imperata, & in laboris stipendium panem ca-  
 pit. Tum Divus cum eodem ita paciscitur, com-  
 munitatem uterque montem haberent, ceterùm ne-  
 cessitas deinceps mortalium ursus noceret. Has in-  
 ter leges homo tulit, & sacrosanctas fera ha-  
 buit. Vidit hoc & invidit orcus, omni que vi pel-  
 lere GALLVM est aggressus. Sed facilè hic iterum



in fugam versipellem hostem egit, victor trophæum Crucis erexit, & præsidium sacra Divorum Ipsiana imposuit. Quin longius etiam hostem persecutus, pepulit è filiâ Ducis Gunzonis, quam infederat, Galliarum tum regis, sed Christi postea sponsâ. Et poterat in præmium accipere insulam Constantiensem, nisi hanc, quam tanti alii faciunt, nihili ille fecisset. Itaque ad majora præmia, & GALLO digna, celum evocavit. Ejus funus equi ferocissimi sponte ad sepulturæ locum duxerunt. usque aded nihil ferum in orbe est, quod virtus non domet, *Ex VValfrido Strabone apud Siv.*

*Utinam sapiamus ad presentis vite molestationem! utinam intelligamus ad præterita correptionem! utinam devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipso miserante, consummationem!* S. Bern. Serm. 2. de SS. Pet. & Paul.

## S. ANDREAS M. 17. Octobris.

**B**ello, quod sacris Dei Divorumque imaginibus barbarus Copronymi furor indixerat, multum virtus ANDREÆ enituit: quippe qui sub ejus statim initia è Cretâ Constantinopolim advolavit linguâ & pectore propugnaturus pietatem. Et nimirum (clamabat ille in publico virtutis theatro) majores nostros, qui pulchram pro patriâ mortem oppetierunt, stantes in saxo, in arte, in auro suspicimus; at verò qui pulchritas pro celo sunt mortui, nullo honore dignabimur? Tibi homini, Copronyme, aureas poni statuas, & surgere celo colossos spectabimus, neque impune hos quisquam nostrum jam violabit; tu verò casti Imperatoris imagines, tu Imperatoris Martis magnæ, tu amicorum hujus gratis eversum